Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36491
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

cationis accipiunt. quasi ad stelle lucem oculos cordis aperiunt.
Dum uero illi benedicenti inuident. et non salutis causam sed elationis
gloriam quaerunt, praecurrente iniquitatis suae uespere in somnum mortis
oculos claudunt. Per occultum ergo iudicium his qui electo est luci
fer: reprobo auditori fit uesper. quia exhortatione sancta qua bo
ni adiuti redeunt. praui deterius in culpa moriuntur.
Unde bene per paulum dicitur: Christi bonus odor sumus deo. in his qui
salui fiunt et in his qui pereunt. aliis quidem odor mortis in mor-
tem. aliis autem odor uitae in uitam. Verbum itaque suum audito
ribus esse luciferum simul et uesperum uidit. per quod et alios ab in
iquitate suscitari. et e contra alios sopiri in iniquitate conspexit.
Quod quia occultis dei iudiciis agitur. quae in hac uita ab homi
bus comprehendi non possunt. recte illic subdidit. Et ad hec

L. II. Ad hec quis tam idoneus.

quis tam idoneus. Ac si diceret. Idonei quidem sumus ad hec consi
deranda quia fiunt. sed idonei non sumus ad hec inuestigan
da cur fiant. Unde hic quoque dominus quia aliis producit luci
ferum. aliis uero consurgere uesperum dixerat. ne perscrutari homo
occulta dei iudicia audeat. ilico subiungit. Numquid no

L. III. Quid significet numquid nosti ordinem celi.

sti ordinem celi. et pones rationem eius in terra. Ordinem celi
nosse. est supernarum dispositionum occultas praedestinationes
uidere. Rationem uero eius in terra ponere. est ante humana cor
da talium secretorum causas aperire. Rationem uidelicet celi
in terra ponere. est supernorum iudiciorum mysteria uel consideran
do discutere. uel loquendo manifestare. Quod utique facere
in hac uita positus nullus potest. Sicut enim a paruis usque ad
maiora ueniamus. quis intelligat quae esse ratio secretorum po
test. quod saepe uir iustus a iudicio non solum non iudicat sed etiam
punitus redeat. et iniquus eius aduersarius non solum non punitus
sed etiam uictor abscedat. Quis intelligat cur uiuit alius
insidians mortibus proximorum. et moritur alius qui profuturus